

27

DISSERTATIO ACADEMICA  
DE  
**FENNIS,**  
*SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES,*  
*ANTE CONDITAM ACADEMIAM ABOËNSEM,*  
**ADEPTIS.**

---

CUJUS  
PARTEM PRIOREM,  
VENIA AMPL. FAC. PHIL.  
PRÆSIDE

**JOH. FREDR. WALLENIO,**

*Eloqu. Professore Publ. & Ord. Imper. Ord. de S. Wolodimiro  
in quarta classe Equite, & Societ. Oecon. Imp. Fenn.  
atque Reg. Wermel. nec non Societ. Patriot. Holm.  
Membro,*

PRO GRADU

*Publico honorum examini subjicit*

**JOHANNES JACOBUS TENGSTRÖM,**

*Stipend. Publicus, Ofrobotniensis.*

In Atrio Biblioth. d. XXX Junii MDCCCX.

H. P. M. S.

---

ABOË, TYPIS FRENCKELLIANIS.

DISEASES OF THE

STOMACH

AND INFLAMMATION OF THE  
GASTRIC MUCOSA

BY

JOHN FRANKLIN COOPER, M.D.  
OF THE UNIVERSITY OF PENNSYLVANIA

PHILADELPHIA

JOHN FRANKLIN COOPER, M.D.

OF THE UNIVERSITY OF PENNSYLVANIA

PHILADELPHIA

1843

NEW YORK

WILEY & PUTNAM

107 NASSAU ST.

NEW YORK

1843

PHILADELPHIA

1843

PHILADELPHIA

1843

PHILADELPHIA

1843

PHILADELPHIA

1843

PHILADELPHIA

1843

PHILADELPHIA

1843

PHILADELPHIA

1843

PHILADELPHIA

1843





*Populi nostri honores quondam fuerunt  
rari & tenues, ob eamque causam  
gloriosi.*

CORNELIUS NEPOS.

**A**d Aboënsē sive Christinæam Academiā, quæ,  
procurante imprimis Gubernatore Finlandiæ  
Generali, Ill. Comite PETRO BRAHE, in locum  
Gymnasii, a gloriosissimæ memoriæ Rege GU-  
STAVO ADOLPHO a. 1630 fundati, anno ejusdem  
sæculi 40:mo successerat, mox tanta confluebat juve-  
num discendi avidorum multitudo, ut triennio  
nondum elapso 10 Philosophiæ Candidatis conferri  
possent brabea Magistrorum, hisque post quadri-  
ennium nova succresceret & lætior etiam seges  
Laureatorum 18. Exceperunt has præmiorum Apolli-  
narium distributiones publicas, ad hunc usque diem,  
45 aliæ eorundem honorum atque insignium dis-  
pensationes, e quibus (si duplex adjeceris, sed utrum-  
que



que parcissimum & speciali venia postscriptum annorum 1795 & 1798 supplementum) 1230 sensim exierunt Philosophiæ Magistri atque Doctores: ut totus Phœbeis fertis in hac nostra Academia, per Svecanæ dominationis tempus, coronatorum numerus summam efficiat 1258. (a)

At fero, ut jam diximus, in hoc mundi angulo hospitia quæsierant Musæ, cum contra in australis & mediæ Europæ plagis maturius habitare incepissent. Sic condita, CAROLI MAGNI nutu fidelique & studioso *ALCUINI Eboracensis* ministerio, Palatina, Lutetiæ plerumque saltem residens, Schola XII:mo jam Sæculo in celebrem illam *Parisensem Academiam* sive, ut appellari ista ætate malebat, *Studium generale* transferat, in quo (ut mox in *Bionienfi* ejusdem circiter ætatis Academia) vergente ad finem Sæculo, & probabiliter post annum jam 1160, creari coeperunt Doctores, Magistri atque Baccalaurei: eodem postea more ad cetera quoque ejusdem generis Instituta migrante. In horum numero commemorare hoc loco convenit præ-

---

a) Cfr. Programmata Celebb. PETRI KALMÆ d. d. 31 Julii 1757, LAURENTII O. LEFRÉN d. d. 19 Jun. 1782 (in quo tamen offendit computationis error, pro 992 bis ponens 1002), & JOHANNIS GADOLIN d. d. 27 Jun. 1805.



præcipue Universitatem Germaniæ facile antiquissimam, *Pragensem* puta, quæ Diplomate Imperatoris CAROLI IV die 7 Aprilis 1347 dato fundata, magnam brevi ad se allexit discipulorum catervam. Neque tacendæ nobis sunt aut *Liphsensis*, cui, e proxime dicta Pragensi post annos 62 egressæ, solita privilegia, expetente FRIDERICO *Bellicoso*, Misniæ Marchione, die 9 Septembris 1409 impertiit Romanorum Imperator RUPERTUS, aut *Leucorea* s. *Wittebergensis*, quam FRIDERICI III Electoris & MAXIMILIANI I Imperatoris favor die 6 Julii 1502 hisdem juribus ornarunt. Has inter media quasi, ratione temporis, fuit *Upsaliensis* Academia, auspice Regni Gubernatore STENONE STURE seniore die 7 Octobris 1476 sollemniter inaugurata & d. 2 Julii confirmata; cui etiam SIXTUS IV Papa, litteris d. 28 Februarii (2 Kalend. Martii) 1476 datis, easdem tribuit *honoris præemiuentias, privilegia, prærogativas, exemptiones & immunitates, quibus Bononiense Studium potiebatur & gaudebat, cum facultate & auctoritate concedendi personis bene meritis Baccalaureatus, Licentiæ, Doctoratus & Magisterii gradus, juxta morem dicti Studii Bononiensis.* Neque enim, post firmatam aliquatenus hierarchiam, ullo unquam tempore neglexerant fervorum Dei Servi hujus generis semet immiscere negotiis, erigendarum Academiarum veniam Imperantibus concedere, privilegia largiri & *in fidei Catholicæ propagationem,*



tionem, exaltationemque sanctæ Romanæ Ecclesiæ, rem totam, civilibus ereptam magistratibus, ecclesiasticæ potestati subicere: sic fore sperantes, ut sibi suæque dominationi perpetuo essent fulcro hæc ipsa artium eruditionisque plantaria. Cum igitur & hoc respectu nihil videretur a lucis progressibus metuendum, & ad lautiora in Dioecesibus, Aulis ipsaque Romana Curia non nisi doctioribus pateret aditus, & alia præterea essent Academicorum graduum jura atque emolumenta (b); non est mirandum, & singulari Pontificum Romanorum cura atque

b) *Æquales Graduati censebantur Nobilibus, & Ornamenta gestandi, Prælati & Canonici alioquin propria, jus habebant. Sic in Statutis Upsaliensibus (apud Ill. NETTELBLADT Schwed. Bibl. 2s Stück p. 177 Punct. CXXXV) legitur: "Item prohibita sunt Clericis Birreta fusca: ne publice in capite ea portent, exceptis Prælati, Canonici & Graduatibus. Prohibitus portans punitur in solvendo unum Birretum privilegiato ad portandum, qui prius eum apprehenderit". (Cfr. ib. p. 194 de Birretis). Et p. 183 Punct. XVIII statuitur: "Item in assentione beneficiorum & dignitatum Nobiles ac Graduatos, ac etiam innatos (infödde), ceteris paribus, volumus aliis anteferri".* Annot. Celeb. PORTHAN ad Chronicon Episcoporum Finlandensium Rev. JUUSTEN p. 799. Notari etiam merentur, ex Bulla quadam INNOCENTII IV Pape, qui sedem S. Petri ab a. 1243 ad a. 1254 tenuit, ad Universitatem Parisiensem data, hæc verba: *Gratiam vobis facere volentes spe-*



atque favore gavisa fuisse hæc altioris disciplinæ  
feminaria, & ad ea frequentanda ingentem undique  
confluxisse discentium turbam, quæ consveto quin-  
quennio exacto, gradus alicujus nomen & insi-  
gnia domum plerumque reportaret. Fuere in his  
etiam Sveci, immo Fenni, ex ultimis Septem-  
trionis oris oriundi, & quorum ardor nec labori  
nec sumptibus parceret, concessa tamen aut collata a  
popularibus stipe nonnunquam sublevatus (c): quod eo  
etiam magis fuisse putes necessarium, quia præ do-  
me-

---

*cialem statuimus, quod nullus in Universitatem vestram Ma-  
gistrorum vel Scholarium aut Rectorem vel Procuratores  
vestros, cujuscunque aut quarumcunque Facultatum, seu quem-  
quam alium, pro facto vel occasione ipsius Universitatis,  
excommunicationis, suspensionis vel interdicti audeat sen-  
tentiam promulgare, absque Sedis Apostolicæ licentia spe-  
ciali. Et si promulgata fuerit, ipso jure sit irrita & inanis.*

c) PORTHAN l. c. p. 599 sq. not. 651. p. 723 not. 828. p.  
624. Cfr. & ipse JUUSTEN p. m. 36. De singulari, qua  
inclaruerunt Scarentis Episcopus BRYNOLPHUS ALGOTHI  
Præpositique Upsalienes BERO & ANDREAS ANDREÆ AND,  
privata quidem, liberalitate legat, cui placet, in Diff.  
MART. TOLPO (Præf. ALG. SCARIN edita Ab. 1750) de  
Initiis rei literariæ in Svethia p. 57. 59. Nepotem suum &  
successorem OLAVUM MAGNI Parisiis liberaliter aluit inelytus  
Finlandensium Episcopus MAGNUS OLAI TAVAST; vid.  
JUUSTEN & PORTHAN p. 24, 532.



mēstica illa, vix non sordere visa, sapiētia magis placebat ea, quæ in transmarinis terris carius veniret. Mirari sane subit, qui factum sit, ut, licet in Academia Upsaliensi ipso inaugurationis die omnes singularum Facultatum lectiones fuerint inceptæ (d), in insulaque urbis *Studentholmen* idem Studiosis pateret, quod in Collegio Svecorum Parisiensi (e), communis mensæ beneficium (f), eo usque tamen friguerit Salanæ Laurus amor, ut eam ante finem Sæculi XVI, quo exeunte, anno quidem 1600 & die 22 Januarii, promotionem magisterialem primam celebravit restaurata paullo ante Academia, nemo ambiret. Lutetias igitur Parisiorum, Pragam, Lipsiam, & post reformatam, præeunte LUTHERO, religionem, imprimis Wittebergam omnes tendebant (g): quod cum & Syeci facerent, haud est mirandum si ne-

d) MESSENIUS, Scand. illustr. T. IV. p. 37 T. XV p. 26.

e) LAGERBRING, Svea Rikes Historia, 2 Delen p. 832 sqq.

f) O. L. ARRHENII Hist. Academiæ Upsaliensis P. II. p. 50 sq 54.

g) Neque invisitatam reliquerunt Gryphiswaldam, ad cujus urbis 32 ante annis conditam Academiam lauream a 1482 accepit futurus Lincopensium Episcopus, JOHANNES BRASK, sed cum nulli, quantum scimus, Fenni, eundem ibi capessiverint honorem, laudatæ Academiæ separatim facere mentionem non visum fuit necesse.



si neque a Fennis majus statueretur Upsaliensi sapientiae pretium. Secundæ demum in illa Academia promotioni Philosophicæ, ad annum usque 1617 dilatae, primus interfuit Fenno, succedentibus ipsi sensim aliis: qui mos etiam post institutum in Fennia Athenæum ad nostra usque tempora ita permansit, ut concessa cuivis eligendi, cui potissimum in patria Academiæ debere graduum honores vellet, plena libertate, paratisque & promptis mutuis harum erga se invicem officiis, tantundem & plus etiam e Svæcia nosmet acciperemus promovendorum, quam ipsi traderemus nostratium pari dignitate ornandorum. Sed de hoc quidem recentiori præmiorum litterariorum commercio in præsentia agere nihil attinet. Ad ipsa potius Academiæ nostræ incunabula deducere — quantum per monumentorum penuriam licet — jam placet seriem Fennorum eruditionis Philosophicæ titulos, utpote domi non obvios, foris quærentium: quo in negotio si nihil ultra præstiterimus, id tamen nos adeptos ipsi judicabimus, ut aliquod saltem existet amoris, quo & in natale solum & in Historiam litterariam ferimur, documentum.

Prodeant igitur, quorum colligere nomina datum fuit, sequentes extra patriam creati Philosophiæ atque Artium Magistri, quos servato, ut poterimus, temporum ordine, singulatim jam recensēbimus.

M. CON-



) 8 (

M. CONRADUS, Canonicus Aboënsis, Magister Parisiensis & in istius loci Academia Procurator Nationis Anglicanæ, cui, Sæculo post Germanicæ appellatæ, subfuit, teste BULÆO, etiam Svecia totusque Septemtrio. *Electus a. 1347 in nuntium ad curiam Avenionensem, pro Rectore & Facultate artium, ad litigandum contra Theologos, ut ex eodem BULÆO (h) discimus.* Insolenter & injuriose hos usos credas primatu, quem ipsis callide concefferat Papa, jubendo ut a ceteris Professoribus, discipulorum instar habitis & nescio cujus non obsequii lege obligatis, *Magistri nostri* appellarentur (*i*): cui quidem servitio semet opposuisse Nostrum, erectioris indicium esse videtur animi, nec nimia papalis auctoritatis aut scholasticæ Theologiæ veneratione fascinati. Commemorat hunc Virum etiam Celeb. PORTHAN (*k*), qui tamen in Indice operis, sed, præter consuetam & consummatissimo Historico dignam rationem, nulla allata subnati dubii caussa, eo inclinatur, ut alium putet fuisse Canonicum, alium Anglicæ nationis Procuratorem. Quod si in Actis Ecclesiæ Fennicæ ejusdem anni, quo ad  
Pon-

---

*h*) Legi potest locus apud Generos. LAGERBRING, lib. cit. 3 Del. p. 356.

*i*) HEUMANNI *Conspectus Reipubl. literariæ*, c. 4 §. 36 not. x.

*k*) Annot. ad JUUSTEN p. 330.



Pontificalem sedem ipse abiit, nomen Ejus forte compareat, assumendum tamen nobis saltem videtur potius, utrumque eodem anno obtinuisse, quam auctoritati, non BULÆI, sed LAURENTII, itidem Sveci, eodemque & sequente anno Nationis sæpius jam laudatæ negotia procurantis, & Canonicum Aboënses eundem, quem ad aulam CLEMENTIS VI. ablegatum retulit, appellantis, refragandum.

M. ROTCHERUS, Pastor in Kangasala circa a. 1366. An idem sit, quem Litteræ annorum 1415 (l) & 1420 (m) RHODGERUM s. RODKERUM, Archipræpositum appellant Aboënses, definire non audeat Cel. PORTHAN (n). Id certum est in litteris venditionis *super prædio Pyhåla* in Nerpis, quas dedit, a. 1403 feria quinta post cinerum, *Petrus Ingemari*, civis Aboënsis (Reg. Eccles. Ab. Fol. 264), emptorem possessoremque tum etiam scriptum esse M. RÔTKERUM Pastorem in Kangasalo: nec diffitemur nondum

B nobis

l) Blandade Afhandlingar, såsom ett Bihang till de af ett Sällskap i Åbo utgifne Tidningar för år 1785, p. 57.

m) Åbo nya Tidningar 1789 p. 322.

n) L. c. p. 512. Cfr. p. 417.



nobis visum esse scriptum, cujus fide ad a. 1366 usque hic referatur.

M. BERO GEORGII (an GREGORII?) BALK, Nobilis, Episcopus Aboënsis ab a. 1385 ad a. 1412. Magistrum (Parisiensem an Pragensem? haud dixerimus) expresse appellant Litteræ anni 1385, in Episcopatu primi (o). Archidiaconatum Capituli Aboënsis primus instituit. Lucem viderat in paroecia Wehmo; exstinctus in arce Kuusto a. 1412. Plura de Episcopo nostro qui scire desiderat, adeat RHYZELII Episcop. Sviogoth. P. I. p. 333 sq. LAGERBRING, libr. cit. P. III. p. 843 & ante omnes, PORTHAN l. c. p. 389 sqq. cfr. Idem p. 457.

M. HENRICUS MAGNI, primus Aboënsium Archidiaconus, cujus muneris augendo splendori, donato ipsi prædio suo Norrmark in paroecia Ulfsby, ipse prospexit. Avunculus fuit HENRICI BITZ, Armigeri & R. Sveciæ Senatoris, qui filium habuit CONRADUM BITZ, Episcopum deinde Aboënsium. Vixisse deprehenditur Archidiaconus noster anno adhuc 1402. Cfr. PORTHAN l. c. p. 402 sq. 412. 425. 458. 543.

M. Jo-

---

o) Bihang till Åbo Tidningar för År 1785 p. 77.



M. JOHANNES (JÖNIS) YÖLINDU, cujus nomen corrupte scriptum videas ÔLYNTU vel ÔLINTU: Canonicus & Curatus Aboënsis a. 1410, Canonicus & Altarista S. Bartholomæi a. 1434. Cfr. PORTHAN l. c. p. 514 not. 543.

M. NICOLAUS KARHU, Præpositus ruralis in Parochia Wirmo. Comparet ejus nomen in vetusto Inventario Ecclesiæ Wirmoënsis, anni, ut perhibetur, 1260, quodque primus citavit Cel. SCARIN (*p*): sed ad ætatem longe posteriorem pertinere hoc monumentum, esseque inter annos 1422 & 1430 ponendum, satis evictum dedit Cel. PORTHAN (*q*), quo factò NICOLAI quoque nostri ætas rectius determinatur.

M. FREDRICUS TRAST, a. jam 1407 Canonicus Aboënsis, a. 1414 simul Pastor in Wehmo, a. 1417 Procurator Episcopi mox nominandi MAGNI TAVAST, Præpositus Aboënsis annis circiter 1422 —  
B 2
1430

---

*p*) In Diff. GREG. A. HALLENI, Wirmoënsis in Finlandia Territorii memorabilia continentis, Parte Priore p. 16 sq. Revocatam videas ejusdem Inventarii mentionem in Diff. Cl. JOH. ARENI de Præpositis Aboënsibus, Comitibus quondam Palatinis (Præf. J. BILMARK, Ab. 1772) p. 5.

*q*) Libr. cit. p. 512 not. 498.



1430 (r). An idem sit FREDRICUS, qui Hattulensem paroeciam a. 1405 administrasse legitur, dubitat Cel. PORTHAN.

M. MAGNUS TAVAST, Nobilis, natus in Alasjoki (hodie Tavastila) paroeciæ Wirmoënsis a. 1357, patre OLAVO NICOLAI TAVAST. In Pragenſi Academia Magister factus, ſucceſſit in Archidiaconatu Aboënsi laudato jam HENRICO MAGNI, præſuiſſeque huic muneri annis 1410 — 1412 legitur. Tum vero Episcopatuſi ibidem admotus Romæque conſecratus, a Rege Sveciæ ERICO XIII honorifice excipitur, Cancellariique munere haud ita multo poſt ornatur. Ad Archiepiſcopalem tamen dignitatem a. 1421, & primo quidem tres inter Candidatos loco, a Capitulo Upſalienſi nequicquam commendatur. Canonicorum & Choralium Aboënsium numerum adauxiſſe, ædem Episcopalem & quidem lapideam Aboæ exſtruxiſſe, libros plurimos ad Theologiam & Jus Canonicum ſpectantes in Eccleſiæ uſum acquiſiſſe, multisque in univerſam Finlandiam meritis inclaruiſſe, Historici teſtantur. Viderat & Pariſios Terramque Sanctam. Tandem annis feſtus Episcopale

---

r) PORTHAN, I. c. p. 417. 512, & Sylloges Monumentorum ad illuſtrandam Historiam Fennicam pertinentium P. VIII. p. 117.



pale munus a. 1450 deposuit, & d. 9 Martii 1452 vitam cum morte commutavit, in corporis Christi Choro, quem a. 1425 in Templo Aboënsi ædificandam ipse curaverat, sepultus. Plura de hoc viro habet JUUSTEN p. 17 - 24, PORTHAN p. 412, 422 — 528, aliique.

M. CONRADUS (HENRICI?), Curatus in Tenala a. 1437 — 1444, quem, p. 330 per notas numerorum fallaces ad a. 1337 relatum, ad tempora MAGNI TAVAST revocat Cel. PORTHAN p. 515 & 795.

M. SIGURDUS (*Iwansson, Jönissson*), Archidiaconus Aboënsis ab a. 1439 ad diem certe 1 Febr. 1448. Videtur tamen eodem & sequente etiam anno adhuc in vivis fuisse, & muneris retinuisse saltem titulum. (Vid. Cel. PORTHAN p. 475, 513, 717, 799. Åbo Nya Tidn. 1789 p. 336.)

M. PETRUS MAGNI, Canonicus Aboënsis & Curatus in Kimito a. 1446. Cfr. PORTHAN l. c. p. 515.

M. OLAVUS MAGNI: OLAVUS HENRICI vulgo, sed perperam appellatus (s). Nepos fuisse tra-

---

s) Verum nomen ex indice sumtuum a Nostro in Curia Romana factorum, exciverat jam LAGRBERING Libr. cit. 3

traditur Episcopi MAGNI TAVAST, hujusque fororem matrem videtur habuisse. Lucem adspexit in prædio Rungo paroeciæ Pikis, nutritiumque habuit, quæ jam nominavimus, avunculum, cujus etiam liberalitate Lutetiam Parisiorum invisere Ipse contigit. In celebri hac Universitate litterarum studia eo successu coluit, ut non solum Magister Artium Theologiæque Baccalaureus, verum etiam Lector Ethicorum, Pedagoga (*Maitre de pension*) & Rector Academici coetus (honore trimestri (t) & a Studiosis ipsis per electionem conferri solito (u)), ibi constitueretur. Etiam dicendi facultate valuisse perhibetur & rerum agendarum prudentia. In patriam rediit Pastor (*Kirkioprester*) in paroecia Nylandiæ Kyrkslätt creabatur, cui muneri anno saltem 1433 jam præfuit. Deinde Archipræposituræ Aboënsi admovebatur, quod quidem a. 1438 factum esse RHYZELIO (v), ejusque sequaci ARENIO (x) placuit:  
id

Del. p. 222 not. 2), sed aliud agendo, nec ipse fere advertens: restituit & extra dubium poluit Celeb. PORTHAN p. 475 529 sq. 535.

t) PORTHAN (ex CREVIERO) p. 347, 533.

u) LAGERBRING l. c. 3 Del. p. 243.

v) Libr. cit. Förra delen, p. 337.

x) Diff. cit. p. 6.



id certum est, maturius forte sed haud quaquam ferius hunc ipsi honorem obtigisse (*y*). Tandem, renuntiante sacrae infulae avunculo, ipse in successorem eligitur, & Romae eodem anno (1450) consecratur. Consiliarius praeterea fuit CHRISTOPHORI & CAROLI VIII Sveciae Regum, illiusque Capellanus (*Hofpredikant*), rara sane rivalium in amicis eligendis concordia. Moritur Aboe a. 1460 d. 24 Februarii, & in Templo Cathedrali Choroque corporis Christi, ad avunculi latus sepelitur. Epitaphia utriusque servarunt GREG. HALLENIIUS (*z*) & LAURÆUS (*a*), sed hic curatius. Plura de Episcopo, ejus nominis, apud Aboenses, primo & ultimo, habent JUUSTEN p. 24 sq. PORTHAN p. 512, 528 — 542, ceterique.

M. CONRADUS HENRICI BITZ (*Messer Koort*), patre natus HENRICO BITZ in Nynäs, Milite (*Riddare*) Castellano arcis Aboensis, Judice primum Territoriali, deinde Provinciali, simulque Regni Sveciae Senatore. Filius Magistri honore in Academia Lipsiensi ornatus (quod anno demum 1451 factum

*y*) PORTHAN p. 512, 534.

*z*) L. c. p. 71.

*a*) De Sacellis sepulchralibus in Templo Cathedrali Aboensi obviis (Diff. Præf. BILMARK) p. 20 sq.

factum esse, nullo aut certo aut probabili teste tradit RHYZELIUS), Archipræposituram Aboënsē ab anno inde 1450 administrasse videtur. Decem post annis in Episcopatum successit, Senæque consecrationem obtinuit. CHRISTIANO I. Sveciæ Regi, cuius partibus contra CAROLUM CANUTI faverat, valde acceptus. Numerum Choralium Aboënsium, duobus adjunctis, denuo auxit, Missalemque suæ Dioeceseos librum Lubecæ a. 1488 typis excudi curavit. Moritur in castro Episcopali Kuusto d. 13 Martii 1489. Cfr. JUUSTEN p. 25 sq. PORTHAN p. 542 — 611, RHYZELIUS l. c. p. 337 sq. &c.

M. HENRICUS FREESE, familiæ haud quidem nobilis, sed inter Aboæ nostræ cives claræ, ipseque Archipræposituræ Aboënsi post Episcopum proxime laudatum (anno forte 1460) admotus. Hujus viri vix ullam aliam memoriā superesse, testis est Cel. PORTHAN p. 603. cfr. p. 476, 598; qui tamen p. 614 not. 670 annum 1465 supremum Ipsi fuisse putat.

M. BENEDICTUS HOLT, Archidiaconus Aboënsis, cuius tamen reliqua facta monumenta nostra itidem silent. JOHANNE tamen MAGNI, mox nominando, superior utique fuit. Cfr. PORTHAN p. 476, 514.

M. Jo-



M. JOHANNES MAGNI FLEMING, Aboënsium Archidiaconus post SIGURDUM, de quo supra. Hac enim dignitate Ipsum anno jam 1448 floruisse, litteræ d. 27 Apr. ejusd. anni datæ & a Cel. PORTHAN (p. 514 cfr. p. 717 & 801) allatæ testantur.

M. JOANNES (JÓNIS) MAGNI FLEMING. Comparet ejus nomen inter conditores Fraternitatis Trium Regum, quam a. 1449 erigi viderat Aboa nostra, primumque inter Canonicos illius temporis tenet locum (PORTHAN p. 475 sq. e Registro Eccl. Ab. fol. 189, 193). Diversum igitur, neque eundem, quem Archidiaconum proxime appellavimus (quod tamen in Indice Juusteniani sui que operis, voc. *Fleming*, suspicatur Cel. PORTHAN), fuisse Canonicum nostrum, facile credas, nec opus esse putes, ut pagina operis sæpe laudati 476 Canonicis, inter JOHANNEM FLÆMINGH & JOHANNEM LENÆPÆ, adscribas nomen JÓNIS MAGNI, quam quidem textus medelam necessariam p. 799 judicat Historiæ nostræ lumen illud atque antistes. Res tota ita nobis videtur intelligenda, ut *Mester* ille JÓNIS MAGNI (Reg. Eccl. Ab. fol. 189) post Archidiaconum SIGURDUM JOHANNIS proxime nominatus, aut idem sit, qui fol. 193 inter Archidiaconos nomine JOHANNIS MAGNI recensetur, quemque SIGURDO in hoc munere successisse notum est (PORTHAN p. 513), aut Canonicus noster (JOHANNES FLÆMINGH Reg. Eccl. Ab. fol.



fol. 193) quod si probabile videbitur, Illius potius (Archidiaconi) nomen fol. 18) excidisse existimetur, cum fol. 193 utrumque (alterum scil. inter Archidiaconos, alterum inter Canonicos) legatur: & quamvis in nota anni conditæ ipsius fraternitatis (MCDXLX, fol. 189) manifestum sit vitium, adscriptis tamen in margine, cœva manu, Arabicis numeris 1449, quam conjecturæ (PORTHAN p. 513 not. 502) institutum illud ad annum 1440 revocanti, eo ex capite fidentum magis videtur, quod illa trium Regum sodalitas ante Chorum Altareque ejusdem nominis (circa a. 1447) conditum vix possit instituta censerî. Cfr. PORTHAN p. 455 sq. & 513. De his autem singulis utcunque senseris, multo etiam minus poteris (quod tamen ad rem non uno modo implicatam expediendam dubitanter proposuit Idem Cel. PORTHAN p. 718) Canonicum nostrum eundem putare, qui ad Archipræposituram pervectus anno demum 1547 occubuit.

M. PAULUS, Archipresbyter, (*Arkeprester*)  
 Aboënsis circa a. 1448, cujus mense Octobri, hujusque die 9, sigillum suum appendi fecit Litteris, vi quarum prædium Tursunperâ Coenobio Nâendalensi cessit. Quo minus anni notam in his litteris conspicuam, ad mentem Celmi PORTHAN, in 1498 mutemus, PAULUMque illum pro Archidiacono PAULO SKEEL infra commemorando habeamus, temporum



rum vetat ratio, cum hic qui annis demum 1512 & 1513 Archidiaconus appellatur, antecesorem in hoc munere habuerit MAGNUM GRISEFOTH ad annum usque 1502. Cfr. PORTHAN p. 646. 717 sqq.

M. PETRUS BENEDICTI, Canonicus Aboënsis circa a. 1459. PORTHAN p. 434 sq. 456, 476, 599.

M. OLAUS PETRI, Canonicus Aboënsis, eodem circiter tempore. PORTHAN p. 476.

M. LAURENTIUS NICOLAI, ejusdem, qua proxime nominati, dignitatis, nec ætate forte inferior. PORTHAN l. c.

M. MAGNUS NICOLAI (*Stiernkors*) de *Särkilax*, parentibus ortus NICOLAO OLAVI, Regni Senatore, & ELIN TAVAST, auras vitales in prædio jam nominato paroeciæ Töfsala carpere coepit. Domi enutritus ad externos abiit, Parisiisque reportavit lauream, quod ante annum 1449 factum videtur (*b*). Tum in Canonicorum Aboënsium ordinem cooptatus, & a. 1464 præbenda corporis Christi auctus, Præposituram sequente circiter anno obtinuit

C 2

nuit

---

*b*) PORTHAN Libr. cit. p. 525.



nuit. Hoc munere fungens, novo & in his terris nondum conspecto (unicum dixissem, nisi ad omnes Præpositi nostri successores pertinere iustum fuisset idem) ornatur honoris incremento, Comitiva nempe Sacri Lateranensis Palatii dignitate, ab Imperatore Romano-Germanico FRIDERICO III, litteris Græcicis (c) datis, in ipsum collata. Episcopus eligitur a. 1489 d. 17 Martii, consecratus Upsaliæ d. 24 Junii 1490. Moritur Aboæ d. 12 Martii 1500, famamque reliquit viri docti & qui litteras magni æstimaret. Vitam fataque ipsius copiosius exposuerunt JUUSTEN p. 26. sqq. PORTHAN p. 611--638 &c.

M. HAQUINUS ANDREÆ, nobili, ut videtur, genere natus: Canonicus Aboënsis annis 1452—1472 & ultra, cum anno demum 1486 (d) diem obiit supremum.

M. ARVIDUS JACOBI, Canonicus Aboënsis & postea Archidiaconus, frater Legiferi Fennix borealis HARTICHINI JACOBI (*Hartvig Japfon*). Occurrit

---

c) Non *Senis* (Senæ) ut perperam retulerunt SCARÉN & TOLPO Diff. cit. p. 75.

d) Nequaquam 1489, ut per errorem forte Typographi legitur apud Celeb. PORTHAN p. 599. Cfr, p. 605.



21

) 7 ( )

currit Archidiaconi nostri nomen in actis annorum 1464 & 1467. Cfr. PORTHAN p. 440, 603, 637, 804.

M. MAGNUS JOHANNIS, Rector (*Scholamestare*) Scholæ Aboënsis, simulque Canonicus ibidem, circa a. 1480. Deinde Decanus Ecclesiæ Aboënsis a. 1492, quam igitur dignitatem anno demum 1493 fuisse hic loci institutam, manifestus est MESSENII (*e*) error. Cfr. PORTHAN p. 476, 576, 598, 618, 635.

M. LAURENTIUS MICHAËLIS SUURIPÄÄ, natus Aboæ, patre urbis Consule. Gradum Magisterii Parisiis, ut MAGNUS NICOLAI *de Särkilax*, cepessivit, ejusdem in Præpositura (a. 1490) & Episcopatu (a. 1500 d. 21 Martii) successor. Consecrationem Canonicam obtinuit Upsaliæ d. 15 Augusti (*f*) 1501. Apoplexiæ, quo in visitatione Alandiæ tactus fuit, insultui per dies 43 supervixit, a. 1506 d. 28 Sept. fato cedens. Plura de hoc viro suppeditabunt JUUSTEN p. 29 sq. PORTHAN p. 638 — 645 & alii.

M. Jo-

---

*e*) Scand. illustr. T. X. p. 22.

*f*) In hunc diem (nequaquam in Martii 25, ut habet p. 640 PORTHAN, qui quidem dies est annunciationis beatæ Virginis) ex Calendarii, quod medio ævo obtinuit, ratione



M. JOHANNES OLAVI. Hunc paroecia Finlandiæ australis Pargas genuit; Lutetia Parisiorum laurea decoravit; reducem patria Archipresbyterum (Præpositum? Decanum? Archidiaconum? (g)) constituit. In Episcopum eligitur d. 3 Octobris 1506, & sequente anno Dominica Adventus secunda (d. 8 Decembris) Upsaliæ consecratur. Templum Ecclesiæ Laihela d. 28 Julii 1508 inauguravit (h). Cibi frusto suffocatus interiit in arce Kuusto d. 9 Junii 1510. Plura de hoc viro sciendi cupidos ad Rev. JUUSTEN p. 30 sqq. & Cel. PORTHAN p. 645 — 651 remittimus.

M. HEN-

dies incidit Assumptionis divæ Virginis, quo demum celebratam esse Episcopi nostri consecrationem JUUSTEN aperte testatur.

g) Hoc quidem lubentissime vel propterea credimus, quod inter ARVIDUM JACOBI, quem annis 1464 & 1467 Archidiaconatui præfuisse vidimus, & LAURENTIUM GRISEFOOTH, qui annis 1501 & 1502 idem munus administravit, longior est, JOHANNÉ demto, temporis intercapedo, quam quæ deprehendi post LAURENTIUM SUURPÄÄ in Præpositorum, aut post MAGNUM JOHANNIS in Decanorum serie possit: ut taceamus Decani dignitatem ante a. 1492 vix existisse. Cfr. PORTHAN p. 603, 618, 635, 646, 714, 717.

h) Diss. PETR. NIC. MATHESII de Ostrobotnia, Præf. A. GRÖNVALL Upsal. ed. 1754 p. 94. Cfr. Åbo Stifts Matrikel af N. M. TOLPO p. 159.



M. HENRICUS, Canonicus Aboënsis, cui una cum Senatore Regni & Armigero CANUTO POSSE, Decano Ecclesiæ Aboënsis supra nominato MAGNO JOHANNIS, aliisque nonnullis Senatus Regni, litteris d. 28 Octobr. 1492 datis, potestatem belli Ruffici dirigendi concessisse legitur (i).

M. MAGNUS LAURENTII GRISEFOOTH, quod nomen alibi *Grisefooth* & corrupte *Griffoth* legitur. Academicam hujus viri dignitatem, doctissimo Chronici Juusteniani Editori ignoratam, extra dubium ponit Registrum Eccles. Aboënsis fol. 280. Archidiaconatum Aboensem a. 1501 tenuisse legitur Idem, & anno sequente e vivis discessisse, sepulturæ locum, quem Ipse elegerat, in Coenobio Nådendalensi inveniens. Cfr. PORTHAN p. 476, 547, 603, 635, 718 sq.

M. HENRICUS WENNE, Præpositus Aboënsis, annoque 1509 unus Legatorum Svecicorum ad Conventum Hafniensem. Moritur a. 1513. Cfr. PORTHAN p. 476, 714, 716.

M. AR-

i) DIJKMAN Antiquitt. Ecclesiast, p. 256. Cfr. PORTHAN p. 635 not. 711.



M. ARVIDUS KURCK, parentibus nobilibus natus in prædio Laukko parociae Westlax. Lauream apud exteros promeritus & in patriam reversus, Canonicus & Curatus Aboënsis (circa a. 1490), deindeque Decanus ejusdem Ecclesiae constituitur. In Episcopum Finlandensem (ultimum Catholicorum) a. 1510 eligitur & die 5 Octobris sequentis anni Strengnesiae consecratur; quo fungens munere templum Ecclesiae Ilmola d. 6 Junii a. 1516 inauguravit (k). CHRISTIANI II Regis, qui anno jam 1520, sed frustra, Stockholmiam Ipsum evocaverat, deinceps a. 1522, Præfecto usus classis suæ SEVERINO NORBY, Aboam ceperat ac spoliaverat, vim insidiasque metuens, ad GUSTAVUM ERICI WASE, cujus partibus in Finlandia juvandis Episcopus noster Regni que Senator impense faverat, transfugere parans, in parocia Ostrobotniæ Nerpis navem, cum cognatis & familiaribus multis, conscendit, sed fluctibus mersus, mense dicti jam anni Majo, dieque ut videtur 23:0, prope Öregrundam interiit, sic vacuum relinquens sedem, in quam nemo esset ante sex fere exactos annos plene successurus. Cfr. de hoc viro JUUSTEN p. 32 sqq. PORTHAN p. 651 -- 662, 665. Åbo Tidningar 1796 N:o 30. 1800 N:o 12 & 51.

M. CON-

---

k) Bihang till Åbo Tidningar för år 1785 p. 89 sq.



M. CONRADUS, Decanus Ecclesiae Aboënsis, cognatus, ut videtur, Episcopo ARVIDO KURCK, eodem, quo hic, fato occubuit. JUUSTEN p. 33, PORTHAN p. 660, 721.

M. PAULUS SKEEL aut SKÅÅL, quod nomen multis modis corruptum jam *Kååll* (forte pro *Skååll*), jam *Skår*, *Skör*, immo *Stuehl* scripserunt. Archidiaconatui Aboënsi præfuisse reperitur a. 1513, & ab illo munere ad Archipræposituram aut anno jam dicto aut certe biennio post transiisse. Comitatus a. 1515 in Russiam ARVIDUM KURCK & ERICUM THURONIS BJELKE, 60 annorum inducias, cum Russis a. 1510 pactas, confirmavit. Moritur a. 1516. Cfr. JUUSTEN p. 32. PORTHAN p. 476, 655, 716 sq. 719 sq. 799.

M. PETRUS SKÅHL, Curatus Ecclesiae Töf-falensis. Munus adit a. 1497. Åbo Tidningar 1793 N:o 47.

M. JACOBUS JOHANNIS. Successit in Archidiaconatu, & deinde in Præpositura, M. PAULO SKEEL, viamque cum morte commutavit a. 1526. PORTHAN p. 700, 716 sq. 720.

M. JACOBUS WENNE Senior, Præbendatus Novi Chori Aboënsis, Pestequæ, quæ Wiburgi certum grassabatur, a. 1530 extinctus. PORTHAN p. 687, 696, 698, 759 & Åbo Tidningar 1796 N:o 8.

D

Cum



Cum Archipræposito jam laudato JACOBO JOHANNIS male confunditur ibid. 1800 N:o 12 §. 3 not. (††), quod eo magis miramur, cum neque anni emortuales consentiant, neque quem patrem habuerit JACOBUS WENNE senior, sciamus, neque a Celmo PORTHAN hos inter non fuerit distinctum (1).

Sic ad Reformationis usque tempora, & ultra forsan, recensum persecuti fuimus Fennorum Philosophicæ eruditionis præmia extra patriam quærentium. Restant ex illo, quod emetiendum nobis proposueramus, spatio viginti tria circiter lustra: cum autem nec temporis nec facultatum ratio permitteret, ut totam absolveremus materiam, continuandam eam commilitoni commendavimus, cujus quidem diligentia elaborata reliquorum saltem pars propediem prædabit.

1) Cfr. Ejusdem Index ad opus Juustenianum, vocc. *Jacobus Johannis & Wenne.*

